

uino se recreare, uel uinum bibere, respondeo quod  
ignobilis sexus muliebris hoc nobilissimo potu in-  
dignus prorsus fuerit, iam quid veteres de uini  
nobilitate senserint audiamus, notum erit absq[ue]  
ullo dubio omnibus celebrata fuisse Romanis olim  
festa uinalia Ioui et Veneri sacra, nullum ego nec  
legi, nec audiri alium ullum liquorem uel celebra-  
tum, uel etiam Dijs ablatum fuisse nisi uinum  
inter omnes atq[ue] liquores nobilissimum, ualde notum  
illud, quod Graeci et Romani facere consueuerunt,  
solebant illi post coenam crateras uini in mensam  
ponere, et ad multam noctem sermonem producere,  
ex eo autem uino quod aderat, aliquid in mensam fun-  
debant, languam (iusto teste Virgilio) Dijs libaturi  
essent, ex hoc nobile uinum affirmari quosq[ue] patet,  
quod hoc (et quidem paucissimo, et ut quidam uolunt  
digito tantum modico) Dijs contenti et placati fuerint,  
habebant etiam Romani ad bibendum uinum tria  
pocula Dijs sacra, unum Iouis hospitatoris, alterum  
Bonae fortunae, tertium Mercurij somni praefidis,  
ipsiq[ue] Romani uinum potaturi aequae ac cibos unquen-  
tis pretiosissimis miscebant, augebat uini nobilitatem